

co, quod non opus est hic multis verbis, tanquam in re inutili, ut dicit Galenus libro 1. Prognosticorum. Quod autem non debeamus his inquirendis diu inhærere, quia sunt leuia, ostendam. Quia hæc symptomata omnia, vel habent causas intrinsecas, & tum ratione membrorum intrinsecorum quæ patiuntur. Vnde sequuntur symptomata mala. Si est ægrotudo in temperatura existens in aliquo membro, ista intemperies, vel erit sine materia, vel cum materia. Dico nullum esse in hoc membrum, quod laboret intemperatura. Licet à primo ortu hepar habeat calidum, tamen ibi est sanitas integra, quia non fuit ægrotabilis, nisi intra duos annos incidit in tertianam, quæ fuit temporaria etiam proportionata. Et quia in rebus non naturalibus peccauit: iam sunt duo anni, quibus non fuit sanus, nunc verò melius habet quam antea. Licet nulla ratione adhibita deuenit ad optimum colorem, & in omnibus suis operationibus est lætus, solus catarrhus ipsum infestat: ventriculus optimè concoquit: quia crassior sit quam antea, & semper tendit ad sanitatem, nec possum videre ullam intemperiem, quæ facit hoc corpus <sup>1000</sup> <sup>gr</sup>, nec etiam acquisita adest intemperies, quia non tenderet ad meliorem statum corporis sui: sed sua membra vincunt quicquid est vitij in hoc corpore, quia robusta sunt, aliàs ipsa vincerentur. Vnde itaque catarrhus ille falsus, qui esse non potest, nisi vel propter intemperiem cerebri, vel propter intemperiem inferiorum. Adustio enim agens in insipidum, facit falsedinem, quod indicat aduotionem: & acredinem, quod indicat bilem.

Est itaq; hic intemperies cum affluxu materiei, non propter intemperiem membrorum. Primò laborauit tertiana, quia multiplicauit plurimos humores biliosos, ac mala ratione victus, hepar supercalefacit, non fuit curatus sicut oportuit, nec est euacuatus, nec alteratum hepar, vi tamen suæ naturæ expulit hanc bilem per icteritiam, quæ crisis fuit imperfecta propter redundantiam plurimam materiei. Quia ante primam septimanam expulsa, ut docet Hippocrates, icteritia, ante septimam mala. Postmodum tamen, ut hic, nihil nocet. Hinc curatione imperfecta, & hepate non alterato rediit febris, & natura rursus per icteritiã expulit in partem, hinc rursus successit continua tempore Autumnii, quia pori obstructi, nec ita materia euacuari potuit, tandem tamen ad eandem cutim iterum expulit virtus: non fecit icteritiam tum, quia humores longo tempore facti aduotiones, & etiam propter tempus anni: ideo successit scabies & pruritus in cute. Et quia ventriculus etiam destructus ob ingentem supercalefactionem, hinc falsedo in isto humore pituitofo, qui pruritus efficit. His stantibus & manente plenitudine & intemperie hepatis calefacti, & ventriculi debilitati, quia Medicus non euacuaret, nec hepar contemperaret, & ventriculum corroboraret trochiscis de rosis & absinthio, ad hepar infrigidandum, & ventriculum corroborandum, ut in longis febribus fieri debet. Hinc calor hepatis mansit & debilitas ventriculi. Et quia fuit Taruisij in aere putrido, semper malè habuit: ad huc veniens

**A** squalidus & macer fuit, quia humores adurebantur: ex quo humores ascendentes ad caput. Galenus tertio de Locis affectis: Vbi hepar est supercalefactum, necessariò in venis calidus est sanguis, quia euaporans ascendit ad caput, hocq; supercalefacit, ascendit etiam pituita à ventriculo per viam latam ad cerebrum. Hinc virtus expulsiua capitis ab his humoribus irritata, ea reuocat ad inferiora ad fauces unde delabitur in ventriculum, & erodit superficiem illarum partium: & sic omnes isti dolores ex hepate supercalefacto, & ventriculo debilitato emanarunt. Quia tamen acriorem meliorem nunc habet, & virtus omnia vincit: itaque tendit ad sanitatem, & optimè se habet respectu prioris temporis. Cessantibus enim accidentibus, declinant etiam causæ, quia accidentia causas comitantur, ut umbra corpus. Concoctio deiecta ex catarrho descendente prouenit, tardè concoquit, quia ventriculus non bene complectitur cibum ob catarrhum descendentem: sed meliorem generat sanguinem, ut apparet ex colore, qui subinde melior fit. Non igitur tanta in hoc ægrotudo. Tantum rationem victus mutarem, purgarem leni euacuatione, exhiberem cassiam, syrupum de infusione rosæ recentem, & de succo endiuie, & melle rosato propter ventriculum, & aqua de cichorio vel endiuia.

In cichorio non est caliditas, quæ supercalefacit hepar, & si comparetur ventriculo, calida est: si hepate, frigida, ac corroborat vtrumque membrum. Darem itaque syrupum de cichorio, & exhiberem storem cassiæ, & syrupum recentem cum infusione rhabarbari. Nec studeret, pueri si ætate benè valent, satis discunt. Non transgrederet medicinas benedictas. Quia natura per se morbum superaret, abstineretq; ab omni intemperie in sex rebus non naturalibus. Et sic tantum leuiter euacuarem, & darem syrupum rosarum, ut dixi, atque ista mihi sufficere videntur.

#### CONSILIVM CLXX.

*In tussi post sanguinis sputum & febriculat.*

**C**CVRRIT nobis adolescens nobilis curandus annum agens viginti duo. Temperatura totius corporis ad calidum & siccum vergit, ut plurima signa testantur. Atque ut omnia eius mala recenscam, mensibus abhinc quatuordecim aut quindecim, cum prauissima ratione victus usus esset, & præcipue pila multum lusisset, assidua corruptus tussi, magnam portionem sanguinis cum sputo eiecit, idq; per aliquot dies perseverauit: sed adhibitis remediis sanguinis effusio suppressa est, tussicula tamen remansit: inde ad tres aut quatuor menses cum adolescens iste iterum ad solitum pilæ ludum reuertisset, rursus in sanguine sputum incidit, quod item paucis diebus auxilio Medicorum suppressum est.

**G** Veruntamen tussis nunquam sedari potuit, sed usq; in hodiernum diem perseverauit. Præterea sputa eiiciuntur liuidi ac viridis coloris, crassa, tenacia, rotunda, purulenta, mali odoris. Corpus præterea emarcuit. Item calore mordaci quodam